



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO XIV.

De

Virtute Heroicâ.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profesſ. Publ.

Placidæ ventilationi ſubjicit,

CASPARUS HAMMIUS,

Dantiſcanus Boruſſus.

In Gymnaſio Gedanenſi.

Ad diem Novemb.

Horis locoq; deſtinatis.

DANTISCI,
Typis Viduæ GEORGII RHETII.
Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO XIV.

De
Virtute Heroicâ.



Um gradus esse in virtute *d. 13. t. 2.* dictum sit, & in ipso virtutis habitu gradum aliquem ex externo adjacente ortū animadvertere licet, quô usitatum fastigium ea excedat, singulare ac extraordinarium quid possideat, raroq; in hominibus inveniatur, quem *Virtutis heroicæ* nomine appellare in Ethicis consuevimus, de quâ consequenter jam post virtutes ordinarias spectatas tractandum.

2. *Quidam* de facto eam in Ethicis omittunt, ut *Scultetus, Snellius, Rigerus, Donaldsonus, Conimbricenses, Raconis, Morisanus, Eustachius S. Pauli, Pavonius, Riedt, &c. Alij* peculiariter eam tractant, ut *Aristot. Keckerm. Daneus, Evenius, Gutkius, Sagittarius, Piccolomineus, Heilandus, Timplerus, Zapfius, Bartholinus, Elerus, Cracevitzius, aliiq́.* Et rectiùs. *Ethica* enim perfectè virtutem secundùm omnes modos & gradus explicare debet. Inter quos omninò virtus heroica. Etsi enim principium magis divinum, & impetus naturalis extraordinarius in eâ sit: Inadæquatè tamen id est, non totaliter, & natura, instinctus, temperies, assuefactio, etiam adsunt, multumq; in eâ possunt & valent. *Interdùm* & actus continuati feliciter expediti in eâ requiruntur, ut fortitudine Alexandri, Aristidis justitiâ. Et sic moralis modus magis conspicuus. Et diversus finis, ut hic publica utilitas, moralem virtutem non tollit. Nam & justitia univers. publicum finem habet, *d. 5. t. 5. 10.* Et moralis tamen virtus.

3. Heroicæ vox *interdùm* virtutem prorsùs ſpiritualem & ſpiritualiter immiſſam notat, qualis pietas Joſephi, fortitudo Simſonis, abſtinentia Danielis, quæ verè moralis non eſt, ſed ſuperioris & Theologici ordinis: *Interdùm* civilem, ſed eminentem: Sic *vel intellectualem* notat, cum in literis quis excellit, quomodo *Ariſtotelem*, *Hippocratem*, *Scaligeros heroas* eruditionis dicimus, Sic *Aeſculapium* in Medicinâ, *Orpheum* in Muſicâ, heroëm dicimus, hæc directè ad Ethicam non ſpectat, *d.4.t 42. Vel moralem.* Sic *vel Synechdochicè* ſumitur, pro fortitudine morali, quomodo viros fortes heroas dicimus, qui excelsâ fortitudine & rebus ſtrenuè geſtis inclaruerunt, ut *Alexander M. Hector*, *Sciptones J. Cæſar, Guſtavus Ad. Vel* magnanimitate & magnificentiâ, quomodo magnifici heroës interdùm dicuntur; *Vel propriè pro omni virtute morali excelsâ*, ſic juſtitia, temperantia, liberalitas heroica, modeſtia heroi. dicitur. Nomen habet V.H. ab heroe, & hoc ab ἤρας, vel ἥρως, vel ἤρατος, vel εἰ, εἶν, vel ἀρετῆς, vel Era, quæ terra dicta, ut *Mart.Capella* ait.&c. Aliàs & virtus divina, extraordinaria, excellens, vocatur.

4. *Eſſentia ejus definitione, Cauſis, ſubjectis, affectionibus, diviſione, & oppoſitione* explicari poteſt.

5. *Definitio eſt, Vir. Her. eſt virtus moralis excellens, ad grandia & communem hominum ſortem ſupergredientia facta patranda impetum divinitùs conciliatum & ſucceſſum feliciſſimum pro uſu boni publici ſubminiſtrans.*

6. *Genus eſt Virtus moralis excellens. Virtus*, quia definitio ejus ei competit, *d.4.t.3.* Et ut à potentia, affectu, diſpoſitione, operatione, diſtinguatur, *C. l. t. 4. Moralis*, ut ad praxin, non theorian, tendere intelligatur, & agere requirat, & ab intellectualib. diſtinguatur. *3. Excellens*, ut in ſuperiore, non uſitato gradu, eſſe intelligatur: Et ſuperior

etiam magnificentiâ & magnanimitate eſt, quæ & ipſæ aliquid ultra communem modum ſunt, *t. 3.* In hac autem & principium ultra ordinarium eſt, *t. 8.* Medium quidem ſervat extremorum & prudentiæ, quia neutrum eorum eſt: Sed non communis & uſitati gradus, ſed hoc ſuperior eſt. *Directa* dici poteſt, quia à judicio viri prudētis in medio dirigitur, non autem quòd circa particulare objectum verſetur, ut ferè ea. *Omnia* enim objecta virtutum reſpicit, eoq; per univerſas virtutum ſpecies funditur, *t. 8.*

7. *Cætera ad differentiam pertinent, & ex objectis ac modis verſandi ſumpta. Ex objecto* circa gradia & communem ſortem ſupergredientia facta verſari dicitur. *Objectum vir. her. internum affectus concupiſcendi & iraſcendi eſt*, quem ad medium prudentiæ ea revocat: *Externum* eſt omnium reliquarum virtutum objectum in excellentiore gradu verſandi ſpectatum, & ad bonum publicum ordinatum, & omne grandius ac ſublimius factum eſt. *Grande factum eſt actus peculiarem difficultatem adjunctam habens*, quod vim, animum, robur, & laborem peculiarem requirat, eoq; cum ſingulari difficultate peragatur. Ita nec pueros, mulierculas, & vanos heroica Virtus admittit. Commune factum ſupergrediens eſt actus in communi vitæ curſu non occurrens, ſed eum ſuperans, & peculiare agens ſubjectum ac agendi modum & finem requirens *V. t. 8.*

8. *Ex modo verſandi* V. H impetum divinitùs conciliatum, & ſucceſſum feliciſſimum pro uſu publici boni ſubminiſtrare dicitur. Non eſt à ſolâ communi naturâ, inſtitutione, aſſvefactione, aut generali Dei ad omnes motus concurſu, ſed peculiaris Dei afflatus, impetus, concurſus, quo agens ad agendū animetur, hic requiritur. Sic *Cicero 2. d. N. Deor. t. 166. Nemo Vir magnus ſine afflatu divino eſt.* Indè

ex eo impetu in heroe *aggressio* magnanima est, *propositum* admirabile, quo periculosissima & impossibilia aggreditur, *finis* præ conceptio vehementissima, quâ validissimè incitatur, *Continuatio* constantissima, quà adversa alios infringentia superat, nec voluptate, difficultate, periculo, calamitate, mortis metu, abducitur aut infringitur, *& absolutio* admiranda, felicissima, insperata. Sic *Cæsar* veni, vidi, vici, ut signum successus inclamat, *Alexander* suum nihil cunctando, *Gideon* suum hic Jehova & Gideon, *Judic. 7. v. 18. Gustavus Ad.* suum cum Deo & victricib. armis intonârunt. *Ex fine* pro usu boni publ. dicitur. Heros enim nihil privato commodo, bono, lucro, agit, sed publico & communitati, sive urbs, s. regnum, aut districtus sit. Sic Coriolanus vindictam publicarum injuriarum, *Halicarn. l. 8.* Cyrus, Constantinus & Carolus M. Ecclesiarum rationem intenderunt.

9. *Causa V. H. efficiens Deus, t. 8.* & peculiaris natura generosa, temperamentum egregium, subjectum laborum, difficultatum, periculorum, patiens, intellectu acutum, celer, judiciosum, appetitu mobile, animosum, constans, instituto excelsum, animo promptum, actu alacre, felix, impavidum: *Finis externus publicum bonum, t. 8. Internus* in ipso heroe Dei assimilatio, unde statua velut Jovis, *V. Piccolom. gr. 6. C. 5.* Et æternæ famæ assecutio. *V. Horat. l. 4. od. 9. Curt. l. 10. C. 10. Materialis in quâ subjectum est*, de quo *t. 7. 8.* Tàm Mas, quàm fœmina, prout exempla *Apolephtegp. 1. 2.* erquickst. *Daneus l. 1. Eth. Chri. Plutarch. d. virt. mul. Bocatius l. d. Clar. mul. Bergomensis d. illu. mul. Munsterus præfat. Canis latrantis, Zvingerus in theat. & Beyerling. in Polyan.* habent, & historia sacra ac profana suppeditat. *Aristot.* 1. *Pol. C. 4.* negat, in mulierem eam cadere, quòd imbe-

imbellis, inconſtans, imprudens ſit. Sed de ordinario curſu intelligendus. Extraordinariè contrà eſſe poteſt, undè *Saba* judicio, *Cornelia* variâ cognitione, & *Arthemiſia* aut *Hipſicratea* rarâ fortitudine occurrit. *V. Ciceron. in Bruto, Val. M. L. 4. C. 6. alioſq́.* Sic Amazones, *Curt. l. 6. C. 5.* Quarum hiſtoriæ *Straboni* prodigioſæ, & vix credibiles viſæ, cum *Diod. Siculus, Herodotus, Oroſius, Mela, Solinus, Juſtinus, Curtius,* aliiq; earum meminerint. Sic Lutherum quidam heroem dicunt, ob mirum impetum, animoſum aggreſſum, progreſſum, & felicem ſucceſſum, *V. Ch. Matthi. 3. Eth. ex. 10.* Et Chriſtum ipſum, qui propriè ſuperior omni heroë, *V. Natal. t. 29. Informationis ſubjectum* virtute her. perficiendum voluntas & appetitus eſt.

10. *Ex diviſione quibusdam divina & humana,* ſed illa propriè huc non pertinet, ſed ſuperioris & ſpiritualis ordinis eſt, *d. 3. t. 4.* Eoq; nec *directè* hic tractari debet, cum nec civilis ſit, nec civilem finem aut ſubjectum habeat, ſpecieq; à morali differat, ſi ſtrictè talis ſit, ut fides, ſpes, caritas, religio. Unde *heroicè religioſi, fideles,* ſperantes, ad Civilia non pertinent, ut *Abraham, David, Noa,* ſed ſpirituale regnum, morali ſuperius. *Aliis* intellectualis & moralis dicitur. *Illa* directè etiam huc non, *d. 4. t. 12. Ethic, t. 3.* Exemplum ejus *Toſtatus,* qui ſtupor mundi dictus, & puer Groningenſis 10. an. omnes artes liberales callens eſt, *V. Meyfartum l. 1. d. ref. Acad. c. 5. Hæc* propriè hujus loci eſt, cum virtutum moralium ſplendor & inuſitatum faſtigium in aliquo eſt.

11. *Affectiones virtutis heroicæ partìm jucundæ, partìm ingratæ ſunt. Jucundæ,* quæ voluptate perficiunt. Tales *cultus,* admiratio, veneratio, ſunt, quâ heroës ob virtutem afficiuntur. Facta enim ſublimia, rara, & mira ſunt. *Raritas,* quà non ſingulis annis, ſed ſeculis, heroes excitantur. Quæ

autem

autem rara, & cara esse solent. *Hesiodus* quarto mundi seculo heroes vixisse ait, aureo. Sed exempla Biblica & Civilia contrà sunt, & ultrà eos extendunt. *Ingratæ* tragicus eorum exitus,& melancholiæ infestatio sunt. *De his quæritur 1. Cur ita rari heroes?* Causa est, *partim* summa perfectio mentis & virtutis in illis, quæ non omnib. concessa, *partim* impetus ille divinus, quo heroes aguntur, *t. 8.* & qui etiam non omnib. à Deo inditur, *partim* felicitas, quæ acta eorum plerumq; comitatur, cujus etiam non omnes capaces. Sic fortuna indulgendo Alexandro nunquam fatigata, *Curt. l. 8. c. 7.* Cui plus quàm virtuti debuit, quamq; solus omnium mortalium in potestate habuit, quæ vitæ quoquè finem eundem illi, quem gloriæ statuit. *Idem L. 10. C. 5.* Polycrates perpetuò felix, cujus vota nuncupata simul & soluta, donec ad ultimum destitutus. *Valerius M. L. 6. C. 11.*

12. *2. Cur genus à Diis ducere crediti?* Nempè quia sine divino afflatu ad divina erigi non datur, *t. 8.* Et solo divinorum amore & exsuperante boni ac honesti desiderio generosæ & singulares actiones prodeunt, natura velùt quædam divina cum humanâ in herois procreatione conspirat, proxima actuum heroicorum Causa voluntas ad divina conversa est, ut feritatis mens ad ferinum appetitum dejecta est, præclara eorum facta velut conditiones Deorum præferunt, & feri ac deplorati homines velut ex homine & ferâ geniti creduntur, ferasq; bestialitate imitantur, unde & vitium eorum feritas & bestialitas dictum, *t. 18. An & mali heroes esse possint*, & heroicum in malo dicendum? Affirmat *Plutarchus L. 1. d. plac. Phil. c. 8.* Quòd quidam heroes animas separatas, bonas aut malas, censuerint. Negat *Piccolomin. gr. 6. c. 2.* Quòd omnes communiter heroas in bonis numerent, à Deo oriri, & semideos ajant.

Pro-

Propriè vox herois in bono est: *Abusivè* & extensivè in malo, quomodo adjectivè vitium heroicum quod ultra communem excessum est. Ita nobile scortum, scelus, pro ingente, nobilem latronem pro insigni dicimus. 4. *Cur semidei censiti & vocati?* Sic *Lucianus Dial: 3.* Heros est, qui nec homo, nec Deus, & simul utrumq; est. Quia impetu, animo, constantiâ, progressu, felicitate, & rebus gestis Dei similitudinem habent & accipiunt.

13. 5. *An martyres heroes vocari possint?* Ait *Piccolomin. gr. 6. c. 2. Propriè* non: hic enim in civili virtute versatur, quâ eminentior & alterius ordinis virtus Martyrum est, qvi pro fide Christianâ & gloriâ Dei mortem obeunt, eoq; alium, quàm civilem finem, intendunt, nec pro bono publico civili, sed spirituali & Theologico ac fidei veritate Deique gloriâ, occumbunt. *d. 8. t. 11. 12.* Sic nec Christus heros, *t. 9.* Et si Ethnico impioq; significato vox sumatur, ferri de illis non debet. *6. In cujus virtutis splendore propriè Virtus heroica constituenda?* Adæquatè in omni morali, *t. 3.* Exquisitè & præcipuè in fortitudine, à quâ primùm heroës dicti, ut Agamemnon, Achilles, Hector, Aeneas, Hercules, *t. 3.* 7. *An magnanimitas & magnificentia heroicis virtutibus annumeranda?* R. Ex sese & naturâ sui non, sic enim & in communi subjecto & vitâ usitatè & frequenter reperiuntur, quod non heroica, *t. 11.* Ex insigni maximoq; splendore, quem junctum habent, possunt, & per analogiam aliquam ac similitudinem, non identitatem. Magnanimitas enim & magnificentia majorem gradum liberalitatis & modestiæ habent, ac communis modestia & liberal. *d. 9. t. 13. 18.* Sic velut heroicæ virtutes dici possunt.

14. 8. *In quâ facultate Virtus heroica sit?* In intellectu quidam locârunt, quòd maxima virtus in maximâ faculta-

te locanda, qualis intellectus. *V. Piccolom. c. l. c. 6.* Sed hoc contra commune subjectum Virtutum est, quod voluntas & appetitus sensitivus, *d. 4. t. 10.* quod proinde & heroi. vi: negari non debet, *t. 9.* Et opposito ejus, feritate patet, quæ in Vol. & appet. sensitivo. Intellectus subjectum intellectualium Virtutum est, non moralium, *d. 4. t. 12.* Ratio contraria consequentiâ caret. Nam caritas Dei præstantissima Virtus est, *1. Cor. 13.* & non in intellectu, sed voluntate subjectatur. Actus Virtutis præstantissimum quid, & voluntatis est, non intellectus, *d. 3. t. 14.* 9. *An in solo irascendi appetitu sit, non concupiscendi?* Sic etiam *quidam*, quòd ad eum ratio ardui pertineat, in quo heroicus splendor. Falsò & hoc. Nam Heroica Virtus in omni virtute est, *t. 3.* E. & in cupiditatis virtutib. Ut temperantia, modestia, liberalitate. E. & in appetitu concupiscibili esse oportet. Et ardui ratio in utroq; appetitu est. Sic arduum, cupiditatem, gulam, Venerem, frænare. 10. *An h. v. penitùs affectus evellat, an modum ponat?* Prius *Eustratius ap: Piccolom. c. 7. vult.* Posterius verius. Nulla enim Virtus affectum extirpat, sed domat. E. nec heroica. Pravitas affectuum est extirpanda, non affectus ipsi. Quid enim homo sine affectu sit? Quod ales sine alis, & Exercitus sine duce. Oculus & pes scandalizans amovendus & evellendus. *Matth. 5. v. 29. seq. V. Coloss. 3. v. 5.* Non oculus & pes absolutè, ut *Origenes* olim intellexit. Non extirpatio, sed heroica affectus moderatio in V. H. est.

15. 10. Cur post communem virtutem, non ante eam, tradatur? Quia modus aliquis & gradus in virtute est, communem antè se requirens, & singulare fastigium ei imponens. Modus autem rei non ante rem, sed post rem traditur. Sic non de tepore aut fervore trades, nisi ante calorem tradideris. Nec prius distinctè V. H. cognoscitur, nisi

ante, quid Virtus ſit, cognoveris. Benè autem virtutem cognoſcas, ut nondum, quid Heroica ſit, cognôris. Quæ autem ad diſtinctam aliorum cognitionem faciunt, in methodicâ doctrinâ præcedere debent, *d.16.Log. t.12.13. ſeq.11. Quomodo V.H. hominem Deo ſimilem reddere dicatur, t.9.* Cum in Deo nullus virtutis habitus reperiatur? Non Deum, ſed Deo ſimilem reddit hominem, perficiendo nempè eum, quomodo Deus ſumma perfectio eſt, ardua & communem ſortem ſupergredientia facta operando, quomodo Deus talia operatur, elevando eum ultra communem ſortem, quomodo Deus ultra eam elevatus, & quomodo Deus ipſa veritas, bonitas, puritas, perfectio eſt, ſic per h. v. homo verax, bonus, purus, fortis, redditur. Sic ſancti quà puritatem divinæ naturæ participes dicuntur, *2. Pet. 1. v. 9.* Et ut Deus formator ac ſeruator omnium: Sic heros multarum rerum, Urbium, caſtrorum, munimentorum, conditor, aſſertor, conſervator, Vindex, &c.

16. 12. Cur plerumq; tragicus heroum exitus? Exempla Cæſaris, Annibalis, Alexandri M. Judæ Maccabæi, Guſtavi Adol. aliorumq; id teſtantur. *Ratio partim* vehementia naturæ ac motuum & affectuum eſſe poteſt, quà vix regere eos poſſunt, indeq; in pericula præcipites feruntur: *Partim* invidia, quæ plerumq; excelſa comitatur, & quam non ſemper ſuperare poſſunt. Sic in Alexandro M. quem hoſtis vincere nequivit, toxicum invidorum & inſidioſorum vicit. *Curt. l. 10. c. 4. 10.* 13. *Cur melancholici ſæpè ſiunt heroes?* De contemplativis heroib. *t. 10.* inprimis hoc capiendum. *Ratio* ſedentaria vita, continuata ac intenſa meditatio, & analogia vini ad melancholicum humorem eſſe poteſt. De quo latè *Ariſtot. ſ. 30. probl. q. 1. & Septalius. in h. l. agit.* 14. *Cur liberi eorum plerumq; degenerent; Heroum filij noxæ, cum contrà eſſe debeat, naturæ ſequitur ſemina quisq; ſuæ?* Cauſæ Theo-

logicæ & morales esse solent. Indulgentior educatio, familiæ splendor, amicorum & assentatorum plausus, fiducia paternorum meritorum, aliaq; multum hic facere possunt.

17. *Diversitas V. H. partim à virtute, partim ab Opposito est. A virtute an specie, an gradu differat, quæritur?* Specie differre *Thomas*, *Timplerus*, *Evenius*, *Gradu Horneius*, *Gutkius*, *Piccolom. Zapfius*, alijq; ajunt. Et rectiùs: Idem enim objectum materiale & formale, idemq; virtutis actus quà speciē in cōmuni & heroica est. Splendor tùm & eminētia in hac accedit, quæ graduale discrimen facit. Sic in Politicis imperium heroicum à communi gradu differt. *An cum sanctitate sit eadem*, disceptantem vide *Piccolomin. c.9. Quomodo à vitio secernenda*, ne vitiosos pro heroibus & specie quadam virtutis acceptemus, quod fieri certum est, ut *Catonem Uticensem*, *Lucretiam*, *Cleopatram*, *Idem C.12.* discutit.

18. *Ab opposito* contrariè differt, quod *feritas & bestialitas est, excessus quidam vitij moralis, quo à communi humanitate exorbitans homo in feram degenerat, omnemq; humanitatis sensum exuit.* Sic Nebucadnezar, *Dan.4. Nero, Caligula*, Phalaris, Basilides Moschus, aliiq;. Sic *Cleomenes Spartanus* ex potationibus ita ferus, ut proprios artus ferro detruncaret. *Herodot. L. 6.p.172. Dividitur in profanitatem*, quæ ad Deum & divina, & *immanitatem*, quæ ad homines exseritur. Exempla *Zvinger. Vol.4.10.15.* habet. *An vitio deterior sit*, quæri solet? Hoc *Piccolom. c. l. C. 14.* disceptat. *Privativè oppositum ejus defectus est*, summus torpor & ignavia virtutis, cum non inclinatio, motus, aut conatus ullus ad eam est, ut in vilibus, abjectis, frigidis, insulsis, & ineptis hominibus, qui moles potiùs & figura, quàm homines sunt. Sic anus quædam de *Joviano*, Quanta longitudo, latitudo, & crassities, tanta est stultitia. Exempla *Zvinger. Vol.1. L.3.* aliique habent.

